



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

27. Januarij. Periculi plenum est, unâ omnes viâ cogere ad profectum;  
pejùs alios ex se metiri. S. Ignat. in vita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)



**S**I quam rerum temporalium jacturam virtutis amore feceris, solet eam Dominus abundè compensare. Melior est pugillus in pace, quàm thesauri cum jurgio. Quid juvat augere censum, & imminuere charitatem.

Difficilè est litem movere, nec violare charitatem. Ut aliena ametur iniquitas, non præcipio; solùm dico: nunquam ita odio habendam esse injuriam, ut illum, qui fecit, odisse liceat. Cave, ne indignaturus factis, simul & homini indigneris.

Minima charitatis jactura peior est quavis temporali; hæc enim præterit, illa manet: pro qua vitanda totius etiam mundi amissio toleranda foret.

Punctum est, pro quo tantopere certamus. Si lucra petimus, æterna quæramus. Quid litigamus pro re, cui opinio nostra pretium fingit meliùs, quàm facit.

27. Januarij.

*Periculi plenum est, unã omnes viã cogere ad profectum; pejus alios ex se metiri.*  
S. Ignat. in vita.

**Q**Uot homines, tot sententiæ, tot diversi vultus, tam variæ voces; ita, ut pro-



prodigium sit, unum in his cum alio convenire ; major in anima , rebúsque hanc spectantibus diversitas. Non sinunt se ad unam omnes modelam cogi.

Si suus pedi cuilibet aptatur calceus, nec unum cuique patellæ servit operculum; quí fieri possit, ut unà singuli animarum morbi curentur medicinâ. Hoc non esset sanare, sed perdere.

Ars artium est regimen animarum , ut quæstuosissima omnium, ita longè difficilima. Ut corpus, ita & animam, non cuilibet medico fidas. Quæras optimum.

Dum Spiritus Sanctus animarum Magister venit , in varias se partitus est linguas , & variis linguis loquebantur Apostoli : Omnibus nempe omnia fieri debet, qui audire vult Apostolus.

28. Januarij.

*Si quæ à Deo creata sunt bona omnia in una, & in altera lance carcer, catena, probra locarentur ; illa præ istis momentum habere deberent nullum. S. Ignat. apud Ribaden. l. 5. c. 10.*

**B**ona, quæ mundus ita nominat, mala potius sunt , quàm bona, quia sunt